



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. IX. Quòd omnia ad Deum, sicut ad finem vltimum, sunt referenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

## CAP. IX.

*Quòd omnia ad Deum, sicut ad finem  
ultimum sunt referenda.*

97  
**F**ILI, ego debeo esse finis tuus  
 supremus & ultimus, si verè  
 desideras esse beatus. Ex hac inten-  
 tione purificabitur affectus tuus, sæ-  
 piùs ad seipsum & ad creaturas, malè  
 incuruatus. Nam si teipsum in ali-  
 quo quæris, statim in te deficis & a-  
 rescis. Omnia ergo ad me principa-  
 liter referas, quia ego sum, qui omnia  
 dedi. Sic singula considera, sicut ex  
 summo bono manantia: & ideò ad  
 me, tamquam ad suam originem,  
 cuncta sunt reducenda.

Ioan. 4. 2 Ex me pusillus & magnus, pau-  
 per & diues, tamquam ex fonte viuo,  
 aquam viuam hauriunt: & qui mihi  
 spontè, & liberè deseruiunt, gratiam  
 1 Cor. 1. pro gratia accipient. Qui autem ex-  
 tra me voluerit gloriari, vel in ali-  
 quo priuato bono delectari, non sta-  
 bilietur in vero gaudio, neque in  
 corde suo dilatabitur, sed multiplici-  
 ter impediatur & angustiabitur. Nihil  
 ergo

ergo tibi de bono adscribere debes, nec alicui homini virtutem attribuas: sed totum da Deo, sine quo nihil habet homo. Ego totum dedi, ego totum habere volo: & cum magna districtione, gratiarum actiones requiro. 1 Cor. 4

3 Hæc est veritas, qua fugatur gloriæ vanitas. Et si intraverit cælestis gratia, & vera charitas, non erit aliqua inuidia, nec contractio cordis, neque priuatus amor occupabit. Vincit enim omnia diuina charitas, & dilatat omnes animæ vires. Si rectè sapias, in me solo gaudebis, in me solo sperabis: quia nemo bonus, nisi solus Deus, qui est super omnia laudandus, & in omnibus benedicendus. Mat. 19  
& Luc. 18.

## CAP. X.

*Quòd spreto mundo, dulce  
est seruire Deo.*

**N**VNC iterum loquar Domine, & non filebo; dicam in auribus Dei mei, Domini mei, & Regis mei, qui est in excelfo. O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te! Sed ps. 30.

F 3 quid